

a. 1264, CDSA, Vol. II, p. 541-543, doc. CCLXXIII

✠ In nomine domini nostri Iesu Christi dei eterni. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, mense martii septime | indictionis, regnante domio nostro Manfrido Dei gracia gloriosissimo Sicilie rege et regni vero Sicilie anno sexto. Nos Iohannes Dei gratia humilis | Aversanus electus considerantes et attendentes meliorationem nostre Ecclesie Aversane quam tu vir nobilis Heriveus [...] Vallectus de Aversa per | mutationis nomine nobis pro parte dicte Ecclesie nostre dedisti tradidisti et concessisti quamdam peciam terre tue sitam in pertinenciis villarum Nolliti et Carditi de territorio | Aversano ab omni onere redditus servitii et decimarum liberam et exemptam, sicut plenius continere debet in quodam publico instrumento inde nobis confecto scripto et | subsignato per manus Iacobi de Cataldo notarii et Iacobi de Donato Aversane civitatis iudicis. que petia terre habet hos fines: ab oriente et meridie | est finis via publica; ab occidente est finis terra viri nobilis Iohannis Latro de Neapoli et terra Pascasii et confratrum sumpta de dicta petia terre; a septentrione est finis terra domini | Guillelmi Scalionis militis Averse. ideo, sicut aptum et congruum nobis est, bona voluntate nostra communi quoque consensu subscriptorum fratrum nostrorum concanonicorum et beneficialium nostre Ecclesie | memorate, per hoc presens scriptum permutationis nomine, damus tradimus et concedimus tibi qui supra Heriveo et heredibus tuis seu cui hoc scriptum per vos in manu paruerit | ab omni onere liberum et exemptum hoc est quoddam palacium cum domo et vacuo sibi contiguus ipsi Ecclesie nostre pertinentes, quod esse videtur infra hanc civitatem | Averse in parochia scilicet ecclesie Sancti Nicolai et hos habet fines: ab oriente est finis via publica; a meridie est finis via publica, domus Nicolai Bonihominis et fratrum | domus Dominici Ceci et domus Iohannis Senescalci; ab occidente est finis domus domini Leutherii militis Averse et vacuum domine Aldemore; a septentrione est finis domus heredum olim domini Adenolfi Gallinari, domus Iohannis Fadolfi, domus ipsius Ecclesie nostre quam tenet in beneficio Goffridus de Landelayta canonicus et domus notarii Franciscii Arzupalumbo. una cum omnibus inferioribus et superioribus suis et cum viis ibidem intrandi et exeundi tali quidem conditione servata quod si quam nos vel successores nostri seu pars dicte Ecclesie tunc | de dicta petia terre fuerimus destituti vel in aliquo molestati de iure vel de facto, tunc sit nobis liberum arbitrium et plena facultas absque auctoritate vel | mandato pretoris seu iudicis et successoribus nostris et parti dicte Ecclesie nostre ad opus ipsius Ecclesie capiendi predictum palacium cum domo et vacuo ibi contiguus et | omnem meliorationem nulla longa possessione vel presenti concessione te et heredes tuos seu cui hoc scriptum per vos in manu paruerit defendente vel iuvante | et e converso si tu vel heredes tui seu cui hoc scriptum per vos in manu paruerit aliquo tempore de dicto palatio cum domo et vacuo sibi contiguus fueritis destituti vel in aliquo molestati de facto seu de iure preter quod vobis delinquentibus vel pro servicio hoc vobis acciderit, tunc sit nobis et illis liberum arbitrium et plena facultas, sine pretoris et iudicis auctoritate seu mandato, predictam petiam terre cum omni melioratione capiendi ad opus vestrum nulla nos vel successores | nostros vel partem Ecclesie nostre longa possessione iuvante seu defendente. In cuius rei testimonium duo inde scripta eadem continentia, unum pro vobis, | in favorem dicte Ecclesie alterum fieri fecimus et signari per manus Iohannis Iordani clelici et publici notarii dicte

Ecclesie nostre et subscriptorum fratrum subscrip|tione munita. Hoc breve scripsi ego supradictus Iohannes Iordani manu propria et signavi. AVERSE. Vero superius abrasum est et correptum in primo loco legitur et successores in secundo vobis delinquentibus intercio alterum, quia per me supradictum notarium abrasum et correptum.

✠ Nos Iohannes Dei gratia Aversanus clericus propria manu subscripsimus. | ✠ Ego Franciscus decanus consensi et subscripsi. ✠ Ego Nicolaus Comes canonicus consensi et subscripsi. | ✠ Signum manus Deodati clerici et beneficalis. | Signum manus presbiteri Iordani | ✠ Signum manus Nicolai Granarii clerici et beneficalis. | ✠ Ego Iacobus Landonis subscripsi. | ✠ Ego Iohannes Grimaldus clericus consensi et subscripsi. | ✠ Ego presbiter Iohannes de Littera consensi et subscripsi. | ✠ Signum manus Nicolai de Iordano beneficalis. | ✠ Ego Thomasius de Benencasa canonicus consensi et subscripsi. | ✠ Ego Tancredus Aversanus canonicus consensi et manu propria subscripsi. | ✠ Ego Goffridus de Landelayta canonicus consensi et subscripsi. | ✠ Signum manus Iohannis Grimaldi diaconi. | ✠ Signum manus Terrisii clerici et beneficalis. | ✠ Ego Andreas presbiter et cappellanus subscripsi. | ✠ Signum manus Iohannis Marini Eustadii beneficalis. | ✠ Ego Andreas de Archidiacono diaconus consensi et subscripsi. | ✠ Ego Simonus consensi et subscripsi. | ✠ Ego Matheus Caballerius consensi et subscripsi.